



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P.Fr. Lvdovici Granatensis Ordinis S. Dominici SS.
Theologiæ Professoris Opera**

In tres tomos distributa

Opvscvla Spiritvalia Continens, in quibus peccatores à semita vitiorum &
perditionis, ad regiam virtutum, perfectionis, ac salutis æternæ viam,
perducuntur

Luis <de Granada>

Coloniae Agrippinae, 1626

Prologus Memorialis vitæ Christianæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79597)



R. P. F.

LVDOVICI GRANATENSIS. OR- DINIS S. DOMINICI. MEMORIALIS VITAE CHRISTIANÆ,

PROLOGVS.



Uemadmodum varia sunt hominum iudicia, variaque Scriptorum studia atque oblectationes, Christiane Lector, sic etiam diuersae sunt materiae, atque argumenta, in quibus pertractandis desudârunt. Quidam enim eloquentia studiosi, huc omnes ingenij vires intenderunt, ut Oratorem facerent perfectum, educantes illum ab infantia per omnes gradus, et disciplinas illius facultatis, donec ad summam fastigij artis illius euegerint. Alij simili cura et diligentia id egerunt, ut formarent exquisitum Principem: quidam, ut belli Ducem, vel militem: nonnulli, ut Aulicum. Aequè ita singuli extollere atque scriptis suis illustrare studuerunt id, quod potissimum amabant, atque in pretio habebant. Est autem extra controuersiam, inter omnes res humanas nihil esse dignius, nihil pretiosius, nihil diuinius homine Christiano: qui cum ad finem creatus sit supernaturalem, etiam vitam viuere supernaturalem: quare et à Sanctis appellatur Homo caelestis, aut Angelus terrestris. Si aliae itaque facultates, quae tantò minores sunt, quanto finis earum minor est, et vilior, Auctores inuenerint, qui summo cû studio docuerunt ea, quae à principio primo, et ad finem vltimum ad illas facultates pertinebant: an non rationi consentaneum erit, etià in hac caelesti professione inueniri, qui id ipsum faciant, quod illi fecerunt? praesertim cû quantò reliquis sublimior est, tanto difficilior addiscatur, tantoque magis necessario scriptorem et doctorem requiratur? Illud est, Christiane Lector, quod multis abhinc annis cupiui, videre scilicet librum aliquem, qui ex professo tractaret, de perfecto Christiano formando: seu qui summam eorum, quae ad professionem huius vitae caelestis pertinent, complecteretur. Quemadmodum enim boni artifices id curant, ut habeant omnia instrumenta, quae pertinent ad opificia sua; et qui arti vel scientiae alicui operam dant, eos sibi libros conquirunt, qui omnia, quae artis illius sunt, continent, ut in vno aliquo loco memoria magis collecta remaneat: sic etiam meo quidem iudicio fieri debet, in hac arte artium, et scientia scientiarum. Habentes enim hanc commoditatem illi, qui ex animo, et vere Deo seruire cupiunt, facile inuenirent lucem, et doctrinam ad vitam suam bene instituendam utilem. Sed et Confessarij et Concionatores communis boni zelo aestuantes, haberent in promptu, quod auditores suos docere possent, ut sciant, quid ad eorum perfectionem pertineat.

Non me latet quidè huius instituti multos hodie libros passim inueniri, optimis, catholicisq. doctrinis scatentes: sed maior eorum pars vnum solum finem habent sibi propositum, nec volunt in opusculis tam exiguis ad omnia simul tractanda constringi. Quinetiam et Cathisimi, qui sunt quasi compendia doctrinae Christianae, licet tractent omnia, quae ad illam pertinent, quia tamen substantiam eorum tantum, et quae ad intelligentiam solam faciunt, declarant, eorum doctrina magis est rhetorica, quàm practica; hoc est, aptior ad illuminandum intellectum, quàm ad mouendam voluntatem, ut virtutum usu sese exerceat.

Ordo & materia horum septem librorum.

II.

Has ob causas ego, diuina gratia, piorumque librorum auxilio fretus, mihi proposui, quidquid alijs diuersis in locis, de varijs materijs tractarunt, in vnum hoc opus colligere, et ex diuersis corradere, quidquid ad formandum perfectum Christianum pertinet: circumducens illum per omnes gradus, omniaque exercitia huius vitae, incipiendo à prima conuersione, et ad vltimam perfectionem adducendo. In hoc igitur lapicidas imitabor, qui ingens saxum rude et impositum à monte aliquo cadentes, illud paulatim scalprijs suis accidunt, formant, et perfectam ex eo statuam tandem efficiunt. In primo namque libro proponam horrendas Inferni penas, incomparabilem celi gloriam, immensa bona, quae secum adfert virtus, et plurimas obligationes, quibus deuincti sumus, ut virtutem sequamur: ut his moti, proponamus vitijs renunciare, et ad cultum, obsequiumque Creatoris, et Domini reuerſi. Hoc pro-

firo

- fito iam concepto, & firmato, statim in initio vite huius necessarium est Sacramentum Pœnitentie: quare mox in secundo libro docetur, quomodo pœnitentia sit facienda, ubi multe traduntur orationes, & considerantur, vtiles ad mouendum dolorem, & detestationem peccatorum prætorum: docetur etiam eodem libro, quomodo eadem peccata Confessario sunt detegenda, vtique, & debita Satisfactione expianda. Post Confessionem sequitur Communio, ideoq. mox subiicitur liber tertius, in quo demonstratur modus, quo se homo debet ad dignè communicandum preparare, eaq. ponuntur, quæ ad id requiruntur: vna cum orationibus, ante & post Communionem dicendis. Vbi iam homo Sacramenta hæc percepit, oportet vt emendatio vite sequatur: ideo liber quartus additur, qui de ea ex professo tractat. Quia verò nonnulli reperiuntur, quibus satis est fecisse illa, quæ ad salutem suam sunt necessaria, alij verò, qui vltius progredi volunt, & ad perfectionem aspirant, qui non contenti onere præceptorum, humeros etiam suos iugo consiliorum subiiciunt; ideo in hoc libro quarto duas tradimus bene viuendi regulas, vnam communem, præ prioribus, alteram strictiorem, & magis spiritualem, pro posterioribus. Porro cum impossibile sit, aliquid bonam vitam auferre, vel in ea perseverare, sine diuinæ gratiæ subsidio, quod per orationem impetratur: ideo post bene viuendi regulas, & documenta, in sequenti libro, ordine quinto, tractatur de Oratione. Sed cum due sint orationis species, vna quæ voce fit, altera quæ mente, (quæ hanc mentalem, illam vocalem appellant) de vocali in quinto dicemus, ubi multe & diuersæ Orationes, ad varios effectus, & vsus vite Christiane traduntur; quin etiam & conditiones bonæ orationis enumerantur. De mentali verò in sexto libro disserimus, ubi tantum agitur de materia illius orationis, quæ est consideratio principalium mysteriorum vite Christi Saluatoris. De ceteris enim, quæ ad hanc materiam pertinent, copiosè satis dictum est in libris de Oratione, & Meditatione. His omnibus rite peractis, nihil reliquum est, quam vt addatur perfectio, quæ consistit in amore Dei, de quo agimus in libro septimo, ubi ea omnia traduntur, quæ suprema huic virtuti acquirende conducunt, quæq. illam impediunt. Considerationes quoq. & Orationes subiungimus, in quibus se exercere debet, quicunq. ad amorem hunc aspirat.

Hæc est, Christiane Lector, series & ordo totius vite Christiane, quæ in has septem partes distribuitur, ad quas reducitur omne id, quod hæc celestis docet philosophia. Porro cum quatuor primi libri versentur circa doctrinam eorum, quæ sunt faciendæ; postremi verò tres magis pertineant ad exercitium orationis, & amoris Dei: visum fuit mihi opus in duo volumina pariri, vt quilibet secundum volumen semper in sinu suo sine magna difficultate queat circumferre, cum adeo necessarium sit in omni loco, & tempore. Quia verò omnes istæ materie tantum obiter hic tractantur, placuit mihi opus ipsum appellare MEMORIAL, quod est Commentarius, in quem homines breuiter solent referre, quid quotidie agere debeant, quamuis non ea est operis huius breuitas, vt aliquid omitatur eorum, quæ spectant ad hoc argumentum. Fateor quidem materiam hanc esse copiosissimam, de qua multa dici & scribi videri possent: sed ea nos alijs scriptoribus relinquimus. Quod si Deus vitam nobis dederit longiorem (quæ velocissimè instat cursoris dilabitur) possemus harum materiarum quasdam, potissimum eas, quæ hic de modo bene viuendi, de Amore Dei, & de Vita Saluatoris dicuntur, tractare copiosius.

Et licet id quod nos hic molimur, hoc est, perfectum Christianum formare, sit opus Spiritus sancti, tamen quemadmodum gratia Dei non excludit nostram industriam, imò hæc duo necessario concurrunt: sic interior Dei institutio non excludit exteriorem hominum, sed eam necessario requirit. Officium autem hoc præ ceteris pertinet ad Sacerdotes, & ministros Ecclesiæ, quibus præcipit Deus, vt doceant, & instruant homines in lege sua. Ideo inter ornamenta summi Sacerdotis erat Rationale, quod in pectore gerebat: hinc insculptum erat, Doctrina & Veritas: quæ duo in pectore Aaronis esse voluit Deus, vt ex illo, tanquam ex fonte reliqui homines doctrinam & veritatem haurirent. Illud autem officium tantum est, vt Moyses, secutus consilium Iero fœderis sui, hoc sibi reseruauerit. Dicebat enim Iero, Moyses stulto labore consumi: eliget viros prudentes de plebe, qui iudicarent populum in rebus leuioribus, & negotijs temporalibus: Esto tu, ait, in his quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum: ostendasque populo ceremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Quia verò Sacerdotes nonnulli postea officium hoc neglexerunt, & intermisserunt, increpauit eos Deus per Prophetam dicens: Quia tu scientiam repulisti: repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, obliuiscar & filiorum tuorum ego. Sed & Deus apud Esau minatur populo, & tanquam maximum flagellum hæc illi denunciant: Ecce ego addam, ait, vt admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium abscondetur eis.

Age igitur, si hic tanquam maximum & stupendum supplicium seu flagellum Dei ponatur, quod auferitur sapientia à maioribus, erit sanè etiam magnum flagellum, si à minoribus auferatur: lumine namque intellectus (quod totam hanc choream ducit, & est quasi primaria rota huius horologii, quæ regit & moderatur vitam Christianam) sublato, quid aliud sperandum, quam cecitas, ignorantia, & alia mille mala? Dicit Dominus apud Esaiam: Non est enim populus sapiens: propterea non miserebitur eius, qui fecit eum: & qui formauit eum, non parcat ei. Et in alio loco: Propterea captiuus ductus est populus meus, quia nō habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Confirmat hæc Propheta Baruch, dicens captiuitatis filiorum Israel, & dispersionis eorum causam esse, quod dereliquerant fontem sapientiæ. Eidem causæ quoque tribuit perditionem & interitum Gigantum, dicens: Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.

Coloss. 3.15.

Huic malo Paulus remedium col. 3.15. adhibere, scribit Colossensibus: Verbum Christi, inquit, habitat in vobis abundanter in omni sapientia, docentes & commouentes vosmetipsos, &c. Non est enim officium, aut opus, tam exiguum & vile, quod non requirat instructorem, & ductorem, qui modum, viamque monstrat illo bene fungendi, quanto magis igitur huic opus erit, cum officium omnium maximum sit & difficillimum, quo quis discit seruire & placere Deo, regnum celorum mereri, & contra omnes insidias, imposturas, & vires Demonum preualere? Quomodo homo rudis & ignarus tanti momenti negocium scire poterit, nisi illi & mine, & promissiones Dei, & cause, ob quas Deo seruire obstringitur, proponantur? Quomodo quis exacte poterit confiteri, nisi prius doceatur, quot, & que partes sunt Sacramenti Confessionis? Quomodo compungi, & peccatorum suorum penitentiam agere poterit, nisi præmittantur cause, & incentiua dolorem excitantia? Quomodo digne & vtiliter communicabit, nisi exponantur illi quæcunque ad Communionem pertinent? Quomodo poterit vitam suam bene instituere, virtutes amplecti, vitia fugere, nisi prius sciat media, quibus illa comparantur, hæc repelluntur? nisi & dolos, atque laqueos inimici habeat perspectos? Quomodo faciet orationem fructuosam, vilem, & suas virtutes atque conditiones habentem, nisi prius fuerit edoctus? Quomodo consequetur amorem Dei, si ignoret media, quibus illud nobis comparamus, & que solent impedire, quo minus ad illum perueniamus: exercitia quoque, ad hunc finem inuenta, nisi optime nouerit? Doctrina igitur & instructio nobis opus est ad hæc omnia consequenda: quam de ventre matris nostræ progredientes nobiscum non adferimus: imò tales potius nascimur, ut non immerito possumus comparari homini illi Euangelico, qui cæcus erat à natiuitate.

Ioan. 9.

Licet autem Concionatorum sit hanc cæcitatem verbi diuini lumine curare: non illi tamen ubique adfunt, nec omnes materiam tam necessariam trahant semper: nec possunt in genere loquentes, ad species descendere, quod tamen hæc moralis disciplina necessario requirit, cuius exercitium cum versetur circa particularia, particularem quoque doctrinam exigit, quæ non ita commodè suggestu potest populo proponi. Ob omnes itaque causas prædictas vtilissima est priorum librorum lectio, sunt enim illi quasi concionatores muti, qui et si prolixiores sunt, fastidium tamen & tedium non pariunt, (possunt enim cum placet lectori finem facere suæ concionis) nec relinquunt auditorem ieiunum, neque orationem suam, antequam satiatus est auditor, abrumpunt, in nostra enim potestate est lectionem quamdiu volumus continuare.

Agor. 8.
4. Reg. 22.Aug. Lib. 8.
Confess. c. 6.

Sed quis vnquam digne satis poterit fructum verbi diuini explicare? est enim lumen illuminans intellectum, ignis inflammans voluntatem, malleus conterens duritiem cordis, gladius præscindens quidquid nimium est in affectibus nostris, lux illuminans nos in omnibus vijs nostris, semen fructus vite æternæ, cibum denique & nutrimentum alens, oblectans, impinguans, & corroborans animam nostram in Deo. Omnibus his fructibus is gaudet, qui libros pios legit. Tanta est lux & fructus lectionis, ut sæpe ipsa experientia didicerimus, homines illius beneficio ad emendationem vite peruenisse. Cum enim interrogarentur, quæ esset causa, & quod principium mutationis tam subite responderunt, quod legentes hunc aut illum librum ad vitam mutandam animum adiecerint. Quid Eunuchus ille Regine Candacis? an non per lectionem Esaie Prophetæ, interpretante quod legerat Philippo, conuersus est? Sed & præclarum opus illud, quod fecit pius Rex Iosias in regno suo, nonne suum habuit initium ex lectione libri, quem miserat illi Sacerdos Helcias, ut in libris Regum fustius narratur? Sed & magna atque admirabilis conuersio D. Augustini, an non suam ex libri cuiusdam sancti lectione traxit originem? Scribit enim ipse in octauo libro Iulianum Confessionum rem memoratu dignam, quam etiam hoc loco referendam existimaui. Dicit enim militem quendam Africanum, nomine Potitianum ad se venisse, & multa de S. Antonio Aegypto monacho retulisse: inter alia verò incidit, inquit Augustinus, ut diceret, nescio quando se & tres alios suos conuberiales apud Treueros, cum Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos: atque illic, ut fortè combinati spatiabantur, vnum secum seorsim, & alios duos seorsim, pariterque digressi. Sed illos vagabundos irruisse in quandam casam: ubi habitabant serui Dei, spiritu pauperes, qualium est regnum celorum: & inuenisse ibi codicem, in quo scripta erat Vita Antonij, quam legere cepit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relictâ militiâ seculari seruire Deo. Erat autem ex eis, quos dicunt agentes in rebus. Tunc subito replectus amore sancto, & sobrio pudore, iratus item sibi, comecit oculos in amicum, & ait illi: Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quo ambimus peruenire? quid querimus? cuius rei causa militamus? Maior ne esse potest spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? & quamdiu istud erit? Amicus autem Dei si esse voluero, ecce nunc fixo, Dixit hoc, & subito parturitione nouæ vite, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus, & exuebatur mundo mens eius, ut mox apparuit. Namque dum legit, & voluit fluctus cordis sui, in fremuit aliquando, & discretuit, decreuitque meliora: iamque tuus ait amico suo; Ego iam abruptime ab illa spe nostra, & Deo seruire statui: & hoc ex hora hæc: In hoc loco aggredior, te si peger imitari, noli aduersari. Respondit ille, adherere se socio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo iam Dei seruifaciæ discabant turrim sumptu idoneo, relinquendi omnia, & sequendi Dominum. Quod autem magis mirandum erat, habebant ambo sponsas, quæ posteaquam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipsæ virginitatem inuaserit Alipium amicum suum, & exclamauerit; Quid patimur? Quid est hoc? Quid audisti? Surgunt indocti, & celum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamus in carne & sanguine? Cum hoc tumultu peccatoris, inquit Sanctus, cessi in hortum hospitij nostri, & sub quadam fici arbore stratus me, nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile

Ibid. cap. 8.

Ibid. cap. 12.

Plal. 6. 4.
161. 78. 5

Math. 18. 21

Rom. 11. 13.

et precabile sacrificium tibi Domine. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: Et tu Domine usquequo? Usquequo irasceris in finem? ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles. Quamdiu, quamdiu eras & eras? Quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis mee? Dicebam haec, & flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, & crebro repetentis quasi pueri, an puellae nescio: Tolle, tolle, tolle, lege. Represso impetu lachrymarum surrexi, nihil aliud interpretans diuinitus mihi tuberi nisi ut aperirem codicem, & legerem quod primum caput inuenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex Evangelica lectione, cui forte superuenerat, admonitus fuerit, quasi sibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelis, & veni, sequereme, & tali oraculo confestim ad te Deum conuersum esse. Itaque concitus redi ad eum locum, ubi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostolicum, inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei: Non in comestationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicijs, non in contentione & emulatione: sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in concupiscentijs. Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiae quasi luce securitatis in iuxta cordi meo omnes dubitationis tenebrae dissi- gerunt. Haec ille.

Ex quibus Augustini verbis facile patet, quam insignes conuersiones ex lectione suum sumpserunt i- nitium: amicorum scilicet Porciani, Augustini, & ipsius S. Antonij: quibus etiam aliorum multorum ve- terum & recentium adiungi possent, qui in principio per lectionem conuersi sunt: sed onerimus eas, ne simus aequo prolixiores: alia enim, & tanta sunt mysteria, quae Christiana Religio passim hominibus proponit, ut ad mouenda hominum corda sint potentissima: nec mirum sit, ea tantas mutationes operari in quocumq; homi- ne, qui legit ea cum attentione.

Haec sancta lectio non tantum utilis est ad excitandos dormientes, ut iam antea demonstrauimus: sed etiam ad eos, qui iam euigilant, conseruandos: hanc enim ob causam verbum Domini per totam Scripturam appellatur panis, aut nutrimentum: sustentat enim, & conseruat animas in vita spiritali, non aliter atque panis materialis ipsum corpus alit & conseruat. Porro, quamuis verbum hoc omni tempore non minus est necessarium, quam ipse panis: tamen hoc nostro sculo magis, quam vnquam antea, necessarium est: antiqui- tus enim Parochi, & Sacerdotes adeo feruentes erant, & solerti in ministerio verbi, ut eorum cura suffi- ciens esset, ad conseruandos in pietate fideles, & infideles conuertendos, sine vltiori lectione. Nunc autem (pro dolor) Parochi, & reliqui Curiones existimant se ad nihil aliud obligari, quam ad sacramenta admi- nistranda, & Sacrum suo tempore dicendum, hoc facientes pleriq; in villis, & pagis, etiam in quibusdam op- pidis, putant se belle officium fecisse. Proinde quanto magis in hoc deficiamus nostro tempore, tanto magis est necessarium, ut bonorum Ministrorum raritatem piorum librorum lectione frequentiori sarciamus.

Accipe igitur, Christiane Lector, ex hoc donum, quod exiguo sumptu & breui temporis spatio defectu hunc poterit supplere: erit enim tibi Concinator, qui te ad bene viuendum exhortabitur: erit Confessionale, ostendens tibi modum bene confitendi, erit tibi dux ad Sacramentum Eucharistiae dignè frequentandum, erit doctrina, erudiens te in via virtutis, erit liber deuotionis, ex quo licebit tibi recitare tuas orationes, erit deniq; materia meditandi copiosissima. In his autem vniuersa philosophia consistit Christiana. Et si quam laudem haec doctrina mereatur, ea est, quod tam vniuersalis est, & quia tractat de omnibus ijs, quae ad quae- cumq; Christianum pertinent, tam incipientem, quam proficientem. Quod si, quanta fuit diligentia, & quan- tus labor omnes has materias in vnam massam redigendi, & stylo facili, suauis, atque ad excitandos appetitus infirmorum apto (quali nos hic vtimur) conferendi, tantus etiam futurus sit fructus, qui ex hoc labore paulatim eruetur, nobis ipsi gratulabimur, nec laborum, molestiarumq; nos poenitebit: non enim est la-

bor aliquis corporalis tam magnus, qui cum minimo fructu & utilitate spiritali potest aliquo modo comparari.

FINIS PROLOGI.

MEMO.

